Iter Australe,

A

REGINENSIBUS

OXON.

ANNO 1658.

Expeditum.

821.49
6762

Illuſtriſsimo Viro Thomæ Barlowe, Collegii Reginenſis Præpoſito.

Ampliſſime Vir.

JAm tandem de obſtinati conſilii ſententiâ me veſtra moverunt mandata, atque in id redegerunt neceſsitatis ambiguum, ut mihi aut indocti aut negligentis eſſet fama ſubeunda: opprimi tamen onere ſtatui, priuſquam quod ſemel imperatum eſt, aut per contemptum abjicerem, aut propter infirmitatem deponerem; & malui eruditionem, potiùs quam pietatem erga te, officiumque meum deſiderari. Pudibunda (vides) Muſa metum inter & ignominiam, & fugit ad ſalices, & videri debet, ignota olim latuit, & tandem prodit infamis; neque enim tanta me aut oblivio cepit, aut confi-

dentia

dentia tenet, ut neſciam quantum publica hæc, & noſtra illa privata induſtriæ ſpecimina diſcrepent: ibi delectatur animus hîc opprimitur, ibi periculum facio, hîc in diſcrimen venio, clarior futurus ſi obſcurior & morigerus eſſe potuiſſem; poeticâ autem licet nunc libertate effluerim mihi ſeveriores poſthac indicam leges. Verum hîc ſaltem minùs ingenio laborandum erat, in cujus locum materia ſuccedit, hiſtoriam enim argutiolis non aſpergendam eſſe putavi; ne narratione rerum omiſsâ diſceptator prodeam otioſus, nimis poeta futurus ſi rem ipſam finxerim. Ubi autem ad altiora quam res exigit contendo, aut languidum & remiſsum quid effutio, aut excurro longiùs, aut digreſsiones affecto, in hoc tantum poeta videor, quod licentiâ utar

Veſtri Obſequentiſsimus

Tho: Biſpham.

Itineris Ratio.

Primò Abbingdoniam, inde Neuberiam, hinc Andoverniam, Salisburiam, VViltoniam, Giſsingiam, Hamptoniam, VVintoniam, Sherburniam denique conceſsimus.

Iter Auſtrale

QUO te Muſa pedes? aut quas concedis ad oras?
Adjungat celeres fœlix tibi Pegaſus alas.
Nec Phaethonteos molire per æthera currus,
Neù velis expande ratem Maria omnia circùm:
Sed rape tuta viam, Zephyrus quâ lenitèr aurâ
Blanditur, placidiſque aſpirat flatibus Auſter;
Quâ graditur Phœbus, doctâ ſtipante catervâ.
Sed tamen ut variis erroribus acta per orbem,
Certa viam teneas, certus comes adſit eunti,
Ingenii dux atque viæ Cyllenius Hermes.

Fulſerat alma dies, & primos Lucifer ortus
Extulerat, cum jam ſaturos præſepibus altis
Jungit equos Titan, addítque ſonantia fræna.
Tum primùm ſtudio rerum, magnoque paratu,
Provoſt. Excedit portis non incomitatus Apollo,
Admiſſo ſequimur retrò veſtigia paſſu.
Abbingdon. Dúmque adeó ignotâ ferimur regione viarum,
Oſtendit primos grata Abbingdonia vultus,
Splendidior ſolito, feſtis ſpectanda diebus.
Market day. Ecce forum! variis conſternitur area ſaxis,
Præſidet alma Ceres ſpicis redimita capillos.
Quâ vexat mercator opes, vænítque ſub haſtâ
Alcinöi quicquid tulerat cultiſſimus hortus,
Heſperidúmque nemus, redolentia poma caniſtris
Theſtylis aſportat, fœcundæ munera Floræ.
(Vos thyma, caltha, roſæ, ſuaves miſcetis odores.)
Optima terrarum & pelagi: ſuſpenſa macello
Terga ſuûm, mollésque agni, cæſique juvenci,

Taurorum

Taurorum claro durus cava malleus icta
Tempora diſcuſsit, transfixaque guttura ferro.
Occurrunt illic, fallax quos ceperat hamus,
Aut quos implicitos ſervarunt retia, piſces:
Aut pingues mulli, aut deceptus in æquore cancer;
Et quas paſcentes videas prodire volucres,
Anſer, anas, perdix, & cum pavonẽ, columba,
Quæ per humum volitant, quæq; altè corpora tollũt
Turba frequens, populi circumcingente coronâ
Hinc atque inde ruunt, voces hominumque boumque
Centum ora & linguæ, ſtridoribus icta reſultant,
Ingeminantque ſonos paritèr vocalia ſaxa.
Tum plauſu ſtrepituque virûm, ſtudiiſque vocantûm
Conſonat omne forum, ferit altus ſydera clamor,
Et tacito mugire ſolum jam murmure cœpit.
Quot cœlo volitant alæ, quot Hymettia prata
Hyblææ populantur apes, quot rore cicadæ
Paſcuntur, totidem ora virûm, totidemque cohortes

Jurgia commiſcent, muliebriaque arma moventes
Mutua ſollicitæ faciunt commercia vitæ.
Sic formicarum longo tota agmine fervet
Semita, & urget opus gens non ignara futuri;
Cuique oneroſa ſuo conſedit ſarcina dorſo.
Hic proprias collaudat opes, jactantior æquo,
Ut pictam expandit caudam Junonius ales.
Callidus hic ſtolido novit dare verba popello,
Multaque fallaci nectens mendacia linguâ
Oſtendit Phaleras. Notat hic, oculiſque pererrat
Corripit, obſervat, queritur, damnatque probatque
Conſulit & nares, & vix ſibi credit. At ille
Quantum vis ſtipulare, & protinus accipe, clamat.
Hæc faturis data ſunt oculis convivia noſtris,
(Expectant mox vera gulam) jejunia ventrem
Nondum urgent, gratamque famem ſperamus eundo.
Qu dederit fortuna viam, devenimus ultrò;
Plana ubi *Newberici* pertingimus æquora campi,

f
Newery-
Plain.

Poſcimus

Poſcimus hic olim commiſsum ediſcere bellum,
Protinus alter equo ſic eſt exorſus ab alto.

'Pone lyræ cantus, molleſque Thalia ſuſurros,
'Buccina grande gemat, juvet & certamina Martis
'Vocali ceciniſſe tubâ, nec digna triumphis
'Bella levi calamo, ſed ferri cuſpide pingas.
'Quant' m animus meminiſſe horret, quàm faucibus (hæret
'Lingua revolventi nimium crudelia fata?
'Quæ ſenſi, nec parva fui pars, pectore vivum
'Vulnus alo, & cogor verbis renovare dolorem.
'Ventum erat ad Jani limen, Mavortiaque arva,
'Dum ſtetit ante oculos Pallas fulgentibus armis,
'Spiravitque horrenda animis & pectore mortem.
'Utraque pars terras oculis, ducto aggere, valli
'Deſignat, ſubitoſque attollit ceſpite muros.
'Mox fragor, & belli fulmen gemituſque dolentûm
'Æraque finitimi reſonant prænuntia fati,
'Sic terrere animos lætè gratiſsimus horror.

The fight on Newbery-Plain. related by one there preſent.

'In ſua transfixis converſos viſcera telis
'Et Regem & populum vidi, qui cæde rubentes
'Ad cœlos ſtravere vias, animâque litârunt.
'(Sic olim Æacides, & cedere neſcius Hector
'Pugnavere pares, & tantâ ſorte ſuperbi
'Ad ſeſe nimium properantia fata vocârunt.
'Sic cum Pompeio tu, Cæſar, in arma ruebas,
'Fortitér & medios ibas moriturus in hoſtes,)
'Irruimus, denſis & circumfundimur armis,
'Victrices volitare aquilas prædantibus alis,
'Et ſtricto hoſtiles ferro concurrere turmas.
'Purpurei fuſo rubuerunt ſanguine campi,
'Gramina mutavere comas, vultuſque cruentos
'Induit alma Ceres, virides exuta colores.
'Cæſa virûm longè mæſtos jacuere per agros
'Alituum diro lanianda cadavera morſu
'Nunc pugnando diu placuit ſuccurrere feſsis,
'Auxilioque levare viros, vimque addere victis.

Mox

'Mox emiſsa volant paſsim, velut agmine facto,
'Sulphureos imitata globos, excuſa Cyclopum
'Tela manu, totumque impletur murmure cœlum.
'Hinc agitâſse caput concuſſo vertice montes,
'Arboreaſque trabes tremulum moviſſe cacumen.
'Nunc geminos flagrâſſe polos, tonitruque tremendo
'Increpuiſſe Jovem credas, & ad arma ruentes
'Cælicolas, ſuperaſque accendere bella cohortes.
'Quò nunc fata vocant? Rapido ceu fulminis ictu,
'Attoniti pars terga dabant trepidantibus alis,
'Turbine rapta cohors, curſuque ſimillima ventis.
'Idem omnes ſimul horror habet. Pars neſcia vinci
'(Auſpicio fœlix atque omine læta ſecundo,)
'Ocyús iuſequitur geminatis viribus hoſtem,
'Et volucris latè ſtreperos quatit ungula campos.
'Nunc ruit in medias audax Bellona phalanges,
'Attollúntque animos graviora pericula, nec dum
'Cedere laſsatis novit victoria pennis;

Cúmque

‘ Cùmque referre pedes ſuadet metus, obvia telis
‘ Surgit in adverſos mens implacabilis hoſtes;
‘ Fortunâ mandante fugam, invitoſque receſſus.
Impoſuit finem dictis, cum ſenſimus hoſtes
Invaſiſſe novos, atque inteſtina movere
Newberie. Bella famem, promittit opem Neoburgia, feſſos
Excipit hoſpitio, & menſis convivia ponit.
Interea poſito relevamus membra ſedili,
Fallimus & medias variis ſermonibus horas;
Donec quiſque gulam vino ſaturamus & eſcâ:
Poſtquam exempta fames, & poſt data ſymbola, certũ (eſt
Ferre gradus, oculíſque novas inviſere ſedes.
Progredimur, dum fortè viâ properantibus ultrò
Occurrit ſolitâ notus gravitate ſacerdos.
Paſtor ego populi, dixit, mihi totus in agris
Grex errat, (quis curat oves oviumque magiſtros?)
Parva mihi domus eſt, & cannâ tecta paluſtri,
Quod ſi fortè calor vobis ſiccaverit ora,

Ad

Ad tenuem precor huc paulùm divertite cellam:
Utque humili petimus congeſtum ceſpite tectum,
In pateris fertur fæx Lalætana, ſed ipſo
Acceſsit vino melior jucunda voluntas.
Nec ſatis eſt, poſtquam grates perſolvimus, unà
Addit ſe ſocium, & greſſu comitatur euntes.
Tendimus ulteriùs curſum per compita, donec
Nox ruit, occiduuſque caput Sol merſit in undis.
Et tandem eſt oculis viſa Andovernia noſtris. Andover.
Tum ſerò poſuere epulas, & vina miniſtri,
Et paritèr ſtratâ diſcumbitur ordine mensâ.
Inde dapum ſaturi feſsos reparavimus artus,
Membraque nocturno ceſſerunt languida ſomno:
Poſtquam ubi pulſatâ jam nocte refulſerat Eos,
Surgentes unà nos tecum, Aurora, cubile
Linquimus, & citiùs, nummis pro more ſolutis,
Ardet abire cohors (nec enim juvat uſque morari.)
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine ſiſtit

Mulio cornipides, conſcendimus ire parati,
Egreſſos uno populus ſimul ore ſalutat.
Salisbury. Hinc inde ad Sarum, magnâ comitante catervâ,
Haud ſegnes æquo tulimus veſtigia paſſu.
Pergimus, ecce! procul villarum culmina fumant,
Et jam longè alias inter caput extulit urbes
Urbs diſtincta ſuis, nec non pulcherrima, vicis.
Comparent turres, cœloque minantia tecta,
Regaleſque domus, magnoque Palatia cultu.
Per mediam tacito rivus pede labitur urbem,
Inque vices varias, atque errorum Mæandros
Ludit, & in totidem ſinuoſus volvitur orbes.
Molle ſonat dulcis crepitantibus unda lapillis,
Et duras lambit viridi pro gramine ripas.
Sed quid repis, Muſa, ſoloque immobilis hæres?
The Minſter. Tolle oculos, animumque, & ſuſpice tecta Deorum.
Ardua tercentis nituntur Templa columnis,
Dædaleaſque domos, celſoſque imitata Coloſſos,

Altiùs

Altiùs aſſurgit Pario de marmore moles.
Hic ubi par ſuperis, atque invidioſa Tonanti
Certat utrique polo; cujus propiora tuetur
Aſtra ſerenus apex, ſummoque minatur Olympo.
Quique levis tremulâ jactatur in aere caudâ
Ales, ad occaſum nunc ſe convertit ad ortum. Weather-cock.
Pyramis audaces adèo præſtrinxit ocellos.
Quotque dies anno totidem numerare feneſtras
Hìc licet, exæquant bis ſenos oſtia menſes.
Fulgore in tanto ſudant torpentia ſaxa, The Monuments.
Viſaque ſunt triſtes lachrymis deflere ruinas.
Effigiem amiſit Patrum veneranda vetuſtas,
Labuntur tumuli, ruituraque marmora pendent
Majorumque cinis parvâ jactatur in urnâ.
Pulvere ceſsit honos, fractos ibi cernere vultus,
Et deturbatos ex ſedibus Æmilianos.
Hic Reges jam dimidii, ſparſique penates,
Illic ſceptra jacent, & magni Principis oſſa.

O quales hominum facies, & hiantia ruptis
Ora genis! de tam magno nil reſtat Achille,
Et data ſunt ipſis mortalia fata ſepulchris.
Hæc ſatis. Undecimâ jam linea tangitur umbrâ.
Et nunc hora vocat multùm gratiſsima ventri.
(Mox ubi turba novis ſucceſsit ſedibus hoſpes)
Lauta coronatas ornârunt fercula menſas;
Quæque tulit dives tellus, quæ pontus & aër,
Acceſſere ſimul noſtro jucunda palato.
Diſcubuere omnes, & toſtâ corpora carne
Implevere, ſitímque mero, curaſque levârunt.
At poſtquam Cereri dedimus ſatis atque Lyæo;
Contulimus greſſum, menſis epuliſque remotis:
Nec mora, vicinas læti properamus ad ædes,
Wilton-houſe. Hic ubi ſydereum propiùs videt aſtra lacunar,
Altaque magnificis incumbunt atria ſaxis,
Digna domus ſuperis Wiltonia, & æmula Cœli.
Auguſto geminæ panduntur límine valvæ,

Et

Et dominum complexa ſuum ſeſe oſtia volvunt.
Cyclopum firmata manu ſtant mœnia circùm
Et cingunt tutas valido munimine portas.
Aurea compoſitis pendent laquearia tignis,
Claraque Sidonio fulgent cœnacula cultu,
Inſtrataque oſtro, pictiſque tapetibus aulæ.
Æra nitent docto multùm vigilata Myroni,
Artificem collaudat opus, fuit hæc Polycleti,
Mentoris illa manus, ſic ludit imagine vultus,
Et nôrunt vivæ mentiri corpora ceræ.
Hic digito monſtravit avos, atque ordine longo
Antiquos Regum virgâ deduxit honores.
Hìc ubi cælatus variis depingitur æther
Syderibus, ſumpſitque ſuas nova Luna figuras. The Pictures.
Stat ſpicis redimita Ceres, ſtat cuſpide Pallas,
Inque brevi tabulâ Phœbuſque novemque ſorores.
Mulciber hìc medias poſuit cingentia terras
Æquora, cæruleoſque Deos, nymphaſque natantes.

Illinc diverſos ſtruitur Labyrinthus in orbes.
Area gramineo juxtà variatur amictu,
Strata jacet viridi paſsim velamine Flora,
Cæſaris ante fores Laurus ſua brachia circùm
Pandit, & alternis hærent amplexibus ulmi,
Quà volucrum aëriæ poſuere cubilia turmæ.
Hìc patula æſtivas arbor Jovis explicat umbras,
Nutantique comâ dominum officioſa ſalutat.

The Wilderneſſe. Stat Nemus inde ſacrum(quî grata ſilentia Muſis)
Mollia quà lentæ texunt umbracula vites,
Et declinanti blanditur Populus Orno;
Illic lenta ſalix, Veneri gratiſsima myrtus
Crevit, & in varias buxus conciſa figuras.
Hìc Labyrinthæos fas eſt penetrare receſsus,
Quà Philomela novum modulatur gutture carmen,
Demulcetque animos nemoris ſuaviſsima Syren.
Auritas fagos dicas, ſylvaſque ſequaces.

The Grotto. Magnâ rupe minor, terrâque erectior æquâ,

Heſperidum

Heſperidum medio ſtabat fons vivus in horto,
Cryſtallique inſtar tenui pellucidus undâ.
Hìc totum bibulæ pandunt Helicona Camœnæ,
Pegaſus & latices labris ardentibus haurit.
Conſpicuo clivus, patulos ſuccinctus hiatus,
Arte laboratus, quà mollitèr orbe tumebat.
Fœlix numen aquæ! viridanti margine ripa
Clauditur, & ſcabros exornant marmora tophos.
In cratera levi dum labitur unda ſuſurro,
Immortale ſonat, divinaque murmura miſcet.
Cœleſtes volvi credas concentibus orbes.
Quælibet hìc varias undanti gutture voces,
Fundere avis primùm viſa eſt (mirabile dictu)
Nata inter mutos vocalis muſica piſces.
Circumſtant totidem, cœlo quot ſidera, flores.
Semita dulce rubet, naſcentia fraga videres,
Spiranteſque crocos, & in horto perpetuum Ver.
Qualia in Elyſiis miramur gaudia campis.

Illinc digreſsi celſas abſcondimus ædes.
Interèa placidos ſuadebant ſydera ſomnos;
Poſtera cùm radiis Aurora retexerat orbem,
Amplis immenſum ſpatiis tranſivimus æquor.

The hunting of a Buck.

Hìc modò Dictæos, nemora inter Creſsia, cervos,
Figere, Partheniosque juvat circundare ſaltus:
Signa dedit primò verſutum naribus agmen,
Curritur, explorat prædam feſtina canum vis,
Per campum infectum variarum cæde ferarum,
Et rauco immanem latratu pandit hiatum;
Territe veloces fruſtraris, Cerve, moloſsos,
Et fugis, obliquas variâ dum texeris arte
Dama, moras, ſupplex ad noſtras concitus ædes.

Giſſenge.

(Ecce oculis aperit ſeſe Giſſingia noſtris.)
Hìc, poſtquàm canibus dederas cum ſanguine pœnas,

A Veniſon Paſtie.

Incluſus niveâ condiris, Cerve, farinâ:
Conticuere canes, ſtomachus latravit inanis,
Turba cöit, paribus, ſpe prædæ, cingimur armis

Nec

Nec pedibus quis, ut ante, fuit ſed dentibus uſus;
Venamur taciti, & creſcit novus ardor edendi,
Aggredimur roſtris, parteſque in fruſta ſecamus,
Implemurque novæ Cereris, pinguiſque ferinæ.
Hîc populo nuper ſolennis fulſerat Eos. Court Leet.
Intrat terrarum Dominus, ſoliumque capeſſit. Lord of the Manour.
Stat juxtà legum, juriſque peritus Apollo.
Volvitur antiquæ milleſima pagina chartæ,
Communis quod habent numeroſa volumina legis,
Inde notat triſtis, ſi quid peccatur, arundo.
Clamoſus parvi moderatur fræna Theatri
Ore Matho, tremebunda adſtat cui turba clientum
Et rauca ingenti frangit ſubſellia voce.
Quantum vel Stentor, convulſo marmore clamat.
Horrore attonitum videas pallere tribunal
Dum trahit obſtrictâ trepidos cervice colonos;
Et citat ore reos Dominus, cauſaſque requirit.
Hic vagus incauto nimium pede tranſiit agros,

Quos certus longo ſignavit limite menſor.
Hic, rapido curſu circumvolventibus annis,
Non ſolvit juſtos poſito cum fœnore nummos.
Ruſticus en! magni fertur bovis inſtar ad aras,
Omnia miratur ſtupefactus, quidque loquatur,
Quidvé agat ignorat, ſed, ut eſt hebes, eſſe videtur.
Projicitur ſupplex, ne pœnas exigat, Ajax,
Cæſaris ante pedes verbiſque minoribus uſus,
Officio trepidante rogat, ſibi copia fandi
Detur, & accedat minimæ fiducia culpæ.
Si precibus locus eſt, nec inexorabile Numen,
Si placare Jovem poſſunt fumantia thura;
Et liceat nobis veniam meruiſſe precando.
Sit plecti potuiſſe ſatis, né ferrea vexet
Bis miſeros, & calce petat Fortuna jacentes
Si modo Fata ferant, certum eſt occumbere Fatis.
Sed vincit duras facilis clementia leges,
Nec ſinit eſſe feros mitis natura, quid ultra

Humanas

Humanas terrent mortalia fulmina mentes,
Verboſæque movent inſana tonitrua linguæ?
Pone ſupercilium, conſummatique Catonis
Lumina, nec tantâ dignos nos cenſeat irâ
Majeſtas, temnit muſcam Jovis armiger ales,
Nec lepus immenſo ſuccumbit præda Leoni.
Damnatos odit ſors invida, parce nocenti
Materiamque ſibi grata indulgentia quærat.
Dixerat. Aſſurgens contrà gravitate verendus
Sic reſponſa tulit Judex, atque increpat ultrò
Nulli fas Themidos ſacrata reſolvere jura,
Hoc jubet eſſe ratum, figitque Adamante perenni.
Si qua fides ſuperis, non eſt venale Deorum
Numen, & inviſit cæleſti ſede relictâ
Terram Aſtræa redux, quanquã & Dea lumine capta
Dicitur, æquali cauſas expendere lance,
Novit, cùm limes juſti injuſtique movetur:
Finierat. Miſeros nunc ipſa ſilentia terrent,

Dum fertur dubio triſtis ſententia voto.
Dicta probant alii, parteſque aſſenſibus implent.
Nunc pulſant pedibus terras, nunc brachia jactant,
Sic ingens vulgi latè ferit Æthera clamor.
His ritè exactis, curſu contendimus æquo.
Southampton. Succeſſit demum lætis Hamptonia votis,
Prætenta Oceano, & vicina furentibus Auſtris.
Adſtabant bini portis in ponte, Gigantes
Et vaſto immanem pandebant gutture hiatum
Deterrentque minis hoſtes, urbemque tuentur.
Sea-Port. Occurrunt oculis maria undique, & undique cœlum,
Hîc pelagi rabiem diraſque experta procellas
Nimborumque minas, tempeſtatumque furores,
In portu, tandem vento ratis acta ſecundo,
Figitur, & certo fixam tenet anchora morſu.
Exonerantur opes, veniunt ad littora merces
Quas tulit extremis dives Mercator ab Indis,
Huc fertur ſpartana chlamys, conchylia Coa,

Et lanæ teneris vel Mæcœnatibus aptæ
Quicquid Arabs, Cilices, quicquid miſere Sabæi
Cordubáque, & dives Thebani vellere Phryxi
Græcia, & Eoi quicquid vomit ira profundi:
Cinnama, thus, aurum, gemæque Oriente petitæ.
Nunciat adventum Triton, Conchaque ſonaci
Inſpirat, venit puppi Palinurus ab altâ,
Miratus Nereus imâ caput extulit undâ,
Attoniti ſeſe tollunt Delphines in auras,
Volunt ſe fluctus, dorſoque invectus aquarum
Armatuſque aderas, Neptune, tricuſpide telo.
Conſpectu gaudent omnes, amor omnibus idem.
Nec procul hoſpitium miſeris, urbs præſtat Aſylum, The Hoſpital.
Communes ſenibus pariter viduiſque Bovillas.
Illic paupertas, jam declinantibus annis,
Suppoſito ſcapulas ibat ſuffulta bacillo.
Ecce omnes unà quos miſit inutilis ætas
(Mancos & cæcos & truncatos claudoſque)

Gaviſi ſtupuere ſuo veniente Patrono.
Inde datum molimur iter, curſuque citato,
Winchester. Wintonis antiquam greſſum glomeramus ad urbem.
The Church, In medio moles æquataque machina cœlo
School, and College. Extruitur, Turris Phœbo propriore caleſcit
Sublimis, doctæ juxtà Pandionis arces
Muſarumque domus, & ſacræ Palladis ædes.
Hîc juvenum, numeroſa cohors, ludique magiſter
Voce manuque tonat, ſolitus ſævire flagello,
Nunc verbis nunc verberibus, pœniſque coercet:
Dum cantat metuens virgæ jam grandis Achilles,
Et tritum volvit Flaccum, nigrumque Maronem.
Nec non Cecropiæ ſpatiantur ubique Camœnæ,
Fellowes (Haud alitèr Ledæus olor per prata Cayſtri)
Incedit pariter nigro facundia Panno,
Et veneranda ſolum demiſſo ſyrmate verrit.
Col. Commons Auguſta eſuriens venit in cœnacula Clio,
Ponitur in menſa ſinceræ bacca Minervæ,

Morde

Mordere hîc laurum, nec deſignatur Apollo
Talia Pieriæ præbent ſpectacula Athenæ.
Hinc viſum eſt proferre gradus, cùm cepit euntes
Ultima cui poſitum a priſcis Sherburnia nomen, Monk-Sherburne.
Hic lætas fruges, fortunatoſque colonos, A Country life.
Panaque ſylvanumque ſenem, Dryadaſque puellas
Cernere, jucundæ cedunt quibus otia vitæ.
Et ſecura quies, & non ingrata voluptas.
Ruſticus incurvo tellurem findit aratro,
Et ſpargit lætis Cerealia munera ſulcis:
Hinc matura ſeges gravidâ caneſcit ariſtâ,
Hinc anni labor, & redeunt cum fœnore magno
Frugiferæ meſſes, proventuque horrea vincunt.
Lactea fæcundæ demittunt ubera vaccæ.
Hinc mugire pecus, pingueſque in gramine læto
Luxuriare boves, errare in montibus agnos.
Ludunt in numerum ſatyri, Faunique, feræque
Exultantque orni, motantque cacumina quercus.

Strata

Strata jacent paſſim ſua quâque ſub arbore poma,
Nec precioſa fames dapibus ſaturatur inemptis,
Et cui non placuit parvos coluiſſe penates
Atque humiles habitaſſe caſas? Sic aurea quondam
Secula, ſic vitam in terris Saturnus agebat.
Dum loquor, invito procedit veſper Olympo
Scilicet optatâ reduces ſumus urbe potiti
Et jam tempus equûm fumantia ſolvere colla,
Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite Camænæ.

FINIS.